

Salve Orpheu, meliorem agimus quo vindice vitam,  
 Nec cæcis ævi hoc degimus in tenebris.  
 Te sequimur, te magne, pio qui pectore blandum  
 Parrhasio carmen ludimus in nemore;  
 Culta fatis tamen ut musæo tacta lepore  
 Romulidum niteat mens magis atque magis,  
 Neu morum inlucies, trans duros pulsa Gelonos,  
 Ingruat ah! pulchræ turpiter Italiae.

## ELEGIA IV.

### MARCHIONI

### JOANNI PATRITIO

VIRO NOBILITATE HONORIBUS BONARUM ARTIUM  
 PATROCINIO PRÆSTANTI SODALIS SUI  
 CARMINA

D. D. D.

**P**Arve liber, culto quem nuper Musa Zamagnæ  
 Dictavit Pindi vertice in aërio;  
 Ille mihi multo scriptum, comptumque lepore  
 Misit dulce suæ pignus amicitiae:  
 Non ego te patiar privata in sede morari,  
 Inque meo ignotum delituisse lare,  
 Dum positum pulvisque tegat, blattæque latentes,  
 Vel tineæ morso, trux genus, omnivoro  
 Pertundant fœde. Clades hæc dira libellis  
 Ingruat, invitis promere quos Charisin,  
 Calliope invita pergunt, incommoda sæcli,  
 Suffeni, proles impia, vel Bavii,

D

Vates